

Notiones. 1) *Effectus malus*, sive essentialiter ex parte objecti inhonestus, sive accidentaliter ex parte praesentium concretarum circumstantiarum inhonestus, ac proinde talis ut in se volitus certe moraliter malus esset.

2) *Connexus per se*, quem actio natura sua producit, ita ut non nisi per extrinsecum impedimentum fieri possit ut effectus non producat.

3) *Connexus per accidens*, quem actio non ex propria ratione producit, sed tantum sub externis conditionibus accedentibus.

4) *Ab agente praevisus*, saltem aliquomodo, v. c. obscura suspicione.

5) *Jus habet ad causam ponendam*, i. e. ad actionem faciendam ex qua effectus sequatur malus, si a) causa est per se honesta vel indifferens, et si b) ex eadem sequitur bonus effectus saltem aequae immediate ac malus; — ergo excludimus finem bonum qui *per medium malum* obtineatur.

6) *Rationabile motivum* habet si a) bonus effectus intentus saltem compensat malum, et si b) ipse finis operantis est honestus.

Prob. 1^a pars (*per se connexus, imputabilis*). Effectus connexus cum actione per se, afficit ipsam honestatem actionis; et si fuerit praevisus, est ipse volitus in alio (hic, in actione, in causa); — a. quod afficit ipsam honestatem actionis et est ipsum volitum in alio, est imputabile; e. (N. B. Supponitur actio humana, libera).

Prob. maj. 1 part. (afficit honestatem). Effectus cum actione per se connexus est finis operis objectivus (saltem partialis); a. finis operis objectivus essentiam ipsam hujus operis afficit ac proinde ejus honestatem objectivam; e.

Ad maj. 2 part. (est volitus). Haec est ipsa notio voliti in alio: cfr. supra.

Ad min. (est imputabile). Quod est volitum in alio, est tamen volitum, i. e. objectum voluntatis intentum, vere etsi indirecte; a. objectum a voluntate intentum ipsi imputatur; e.

Prob. 2^a pars (*per accidens connexus...*). Agenti imputabilis ille effectus non est, qui moralitatem actionis nullo modo afficit; a. effectus per accidens, etiam praevisus, si agens habet jus..., et rationabile (grave) motivum..., nullo modo afficit actionis moralitatem; e.

Prob. min. Afficere moralitatem actionis non potest effectus nisi ex parte objecti actionis et finis operis, aut ex parte ipsius agentis et finis operantis, aut ex parte circumstantiarum; a. in nostro casu nullo ex his modis effectus actiones attingit; e.

ad min. 1 part. (ex parte objecti). Supponitur effectus connexus per accidens cum actione de se bona vel saltem indifferente.

ad 2 part. (ex parte agentis). Supponitur agens habere rationabile motivum..., et effectum proprium actionis bonum, in quo voluntas ut in objecto suo sistere potest.

ad 3 part. (ex parte circumstantiarum). Supponitur jus ad causam ponendam, et rationabile motivum, i. e. omnia in concreto ita existere ut nihil impediatur moralem bonitatem actionis, nisi forsitan ille effectus connexus de quo quaeritur; — a. 1) ita supponitur nullam aliam circumstantiam adesse quae bonita-

tem actionis impediatur; — 2) ipse effectus est relate ad actionem talem mera circumstantia (per accidens connexa), cujus malitia eliditur per motivum rationabile (grave, compensans), quaeque ipsa ab agente nullo modo est volita (nec in se, nec in alio), sed solum permessa in alio; e.

Prob. 2^o Communis hominum persuasio est...; e.

Ad antec. Omnis homo rationalis frequenter practice agnoscit..., intimae conscientiae testimonio approbante; e.

Prob. 3^o Nisi ita esset, Deus foret auctor responsabilis omnium malorum; — et hominis jus fere omne esset illusorium; e.

Coroll. Ergo mala non sunt facienda ut eveniant bona.

Propositio 21.

Effectus malus cum actione per se connexus, et ab agente non praevisus, huic non est imputabilis, dummodo ignorantia illa, si est influens in actionem, sit antecedens voluntatem; si autem est mere concomitans actionem, sit invincibilis, saltem moraliter.

Notiones. 1) *Effectus connexus per se*; nam de effectu per accidens connexo: a) valebunt a fortiori eadem argumenta, et b) nec semper eae conditiones requiruntur, nam fieri potest ut pro iis adsint conditiones in praecedente propositione enuntiatae, et tunc si insuper adsit ignorantia aliqua, iterum omnia erunt a fortiori admittenda.

Non praevisus: scilicet nullo modo praevisus, ne per suspensionem quidem.

2) *Ignorantiae divisiones et notiones* cfr. supra.

Antecedens hic sumitur: sive invincibilis, sive aliquomodo vincibilis; dummodo vere independenter a voluntate causata, i. e. vere antecedens.

Invincibilis: sive antecedens, i. e. quam voluntas nullo unquam modo causavit, sive etiam consequens, i. e. quam voluntas aliquando causavit saltem aliquomodo; dummodo hic et nunc sit vere invincibilis.

Prob. Imputabile non est illud cujus existentia non potest agenti tanquam auctori et domino suo rationabiliter tribui; a. agenti ex ignorantia antecedente, vel cum ignorantia invincibili, nequit rationabiliter tribui effectus, tanquam...; e.

Prob. min. Illud solum potest agenti, tanquam..., tribui, ad quod producendum ejus se voluntas et libertas extendit; a. ad effectum ex ignorantia antecedente, vel cum ignorantia invincibili productum, non se extendit voluntas et libertas; e.

ad min. 1 part. (ex antecedente). Haec ignorantia est 1) *vere influens* in actionem, i. e. voluntas talis est ut si rem novisset, eam non fecisset; a. talis voluntas ad eam rem producendam se non extendit, sed potius ad oppositum disposita est; e.

Haec ignorantia est 2) *vere antecedens*, i. e. voluntas illam nullo modo procuravit, nec proinde in illa effectum voluit vel permisit, nec potuit circa eam exercere suam libertatem; e.

ad min. 2 part. (cum invincibili). Si haec ignorantia est mere concomitans actionem, voluntas talis quidem est ut etiamsi rem novisset, eam fecisset; *a.* etiam in hoc casu non est liberae voluntati tribuendus effectus actionis; *e.*

nam : ita actio ipsa est quidem mala, et imputabilis, et effectus malus si fuisset saltem aliquomodo praevisus, fuisset imputabilis, sed de facto nunc non praevisus, et quidem invincibiliter non praevisus, nullo modo est obiectum voluntatis et libertatis, nec proinde moraliter sub dominio agentis; *e.*

Objic. 1^o Homines communiter, v. c. in tribunalibus, non ita judicant, sed imputant effectum actus mali, etiamsi cum ignorantia invincibili, vel imo etiamsi ex ignorantia antecedente, productus sit; *e.* — *R. d.* imputant quoties certo constat de ignorantia, *n.* (sed admittunt quas dicunt circumstantias attenuantes); quoties non certo constat, *sd.* imputant quia de intimis judicare non possunt nisi ex apparentiis, et interpretantur fuisse effectum saltem aliquomodo praevisum, *c;* secus, *n.*

Objic. 2^o Quoties ignorantia est mere concomitans, voluntas talis est ut etiamsi effectus cognosceretur, tamen fieret actus; *a.* voluntas sic disposita assumit in se sequelas omnes sui actus; *e.* — *R. c. maj.* — *d, min.* assumere vellet, et parata est, potius quam actum omittere, *c;* de facto actualiter libere admittit quod invincibiliter ignorat, *n.*

QUAESTIO 3.

De merito et demerito.

Propositio 22.

Meritum et demeritum apud illos omnes et solos acquiritur, quibus actio, quatenus imputabilis est, emolumentum vel detrimentum confert quod non sit jam omnimode ex rigorosae justitiae ordine debitum.

Notiones. 1) *Meritum* generatim est exigentia retributionis convenientis ob emolumentum vel detrimentum alteri per actionem allatum; — huic correspondent in altero onus praemii reddendi vel jus poenae sumendae.

2) *Meritum* strictius dicitur exigentia retributionis ob emolumentum; — cui opponitur *demeritum* : exigentia retributionis ob detrimentum.

3) Dividitur meritum in meritum *de condigno*, si exigentia retributionis est ex stricta justitia; et meritum *de congruo*, si exigentia retributionis est imperfecta et solum congruit seu decet.

Prob. Meritum et demeritum ex ordine aequalitatis naturalis oritur; ejus internus et essentialis finis est, hunc ordinem complere et servare (compensatione); *a.* haec compensationis necessitas penes illos omnes et solos oritur, qui praeter justitiae debitum acceperunt bonum aut malum; *e.*

Prob. maj. Existit inter omnes homines aliquis ordo naturalis, quo omnes homines 1) vi naturae humanae sunt inter se aequales, a se mutuo independentes, soli Deo subditi tanquam causae primae et fini ultimo; — 2) vi status

et conditionum sive nativitatis sive facultatum naturalium, sunt inter se inaequales, habentque varias innatas, licet accidentales, relationes superioritatis et inferioritatis inter se, quibus socialis ordo et aequilibrium constituitur; — 3) vi actuum liberorum, beneficii et maleficii, varias relationes novas mobiles contrahunt inaequalitatis et inferioritatis; — *a.* priora duo genera relationum mutanda non sunt sed agnoscenda; tertium autem restaurandum est in aequalitatem per compensationem (qui solus est modus istas relationes agnoscendi), quod fit per praemium et poenam; *e.*

Prob. min. Illud omne et solum fundat hanc compensationis necessitatem, quod ordinem stabilem, relationumque aequilibrium invertit; — *a.* hunc ordinem et aequilibrium invertit omnis et solus actus, qui 1) liber et imputabilis est, — 2) aliquod bonum vel malum alii affert, — 3) praeter debitum strictae justitiae; *e.*

ad min. 1 part. (liber et imputabilis). Omnis alius actus equiparandus esset potius eventui cuicumque physico, qui nemini imputabilis, nemini potest onus imponere compensandi malum alterius.

ad 2 part. (bonum vel malum alii afferens). Nullus alius actus potest inaequalitatis relationem novam inducere.

ad 3 part. (praeter debitum...). Actus qui ex stricto debito fieret, ipse jam esset compensatio alicujus inaequalitatis et restauratio aequalitatis; *e.* non ipse posset esse compensandus et restaurandus.

Coroll. 1^m Ergo conditiones ut opus sit meritorium : 1) *ex parte operis* : a) sit libere praestitum et imputabile, — b) cedat in bonum alterius, — c) sit factum ex intentione hujusmodi boni procurandi;

2) *ex parte personae* apud quam habeatur meritum : haec aliquomodo acceptaverit vel acceptare debuerit bonum ex actione sibi proveniens, nam rationabiliter nolenti nequit rationabiliter imponi onus retribuendi.

Coroll. 2^m Actus alteri utilis non cessat esse respectu hujus meritorius, etiamsi aliunde quam ex justitia sit illi debitus, v. c. lege caritatis.

Coroll. 3^m Actus etiam titulo justitiae vel pacta mercede debitus potest meritorius fieri *ex modo* quo praestatur, v. c. citius et libentius.

Coroll. 4^m Natura rationalis exigit, ut qui alii detrimentum intulit, permittat illum se huic relationi in agendo accommodare; ergo natura exigit ut qui malum intulit, poenam det si exigatur.

Coroll. 5^m Actus in bonum singularis personae directus, habet meritum primario apud eam, secundario apud totam societatem ad quam illa pertinet; et contra, actus in bonum totius societatis directus, habet meritum primario apud integram eam, secundario apud singula ejusdem membra.

Propositio 23.

Meritum et demeritum etiam apud Deum per actus nostros morales acquiritur.

Stat. quaest. 1) Negabant haeretici praesertim saeculi XVI.

2) Quoad *demeritum* dicimus stricto sensu.

3) Quoad *meritum* non dicimus simpliciter, quum nullum strictum jus aequalitatis erga Deum habere possit; — sed dicimus secundum quid et hypothetice, supposita scilicet Dei libera et benevola ordinatione qua praemium homini proponit, eique titulum juris confert; unde non tam homini quam, vi sapientiae, sanctitatis, veracitatis, sibi ipsi debet Deus remunerationem hominis.

Prob. 1^a pars (demeritum). Strictus ordo est ut Deo omnia jura, homini omnia officia per se convenient; *a.* actio libere mala Deo injuriam infert, gloriam scilicet extrinsecam ei debitam denegat; *e.*

Prob. 2^a pars (meritum). Actioni bonae insunt conditiones meriti tum ex parte hominis tum ex parte Dei; *e.*

Prob. ant. 1) (ex parte hominis). Qui bene agit, ordinem quem Deus necessario amat et vult, libere prosequitur, atque ita Deo gloriam extrinsecam tribuit; *a.* qui haec facit, a) quasi aliquid de suo, liberum arbitrium, Deo praestat, b) quod cedit in bonum Dei, verum licet accidentale et extrinsecum, gloriam Dei, c) et ita suam erga Deum propensam voluntatem ostendit; *e.*

2) *(ex parte Dei).* Multa bona Deus non stricte praecipit, et ea etiam quae praecipit, non solo titulo dominii sui exigit, sed praefinito praemio proportionato; *e.* ut meritoria acceptat et agnoscit, ac quasi ordinem aequalitatis inter se et hominem instituit.

Objic. 1^o Nullus est ordo aequalitatis inter Deum et hominem; *e.* nullum meritum. — *R. d. ant.* naturaliter, *c;* consequenter ad liberam Dei dispositionem, *n.*

Inst. Praeter naturam nihil videmus dispositum in ordine naturali. — *R. d.* sed huic naturae proponitur beatitudo naturaliter cognita, et ita promissa, *c;* secus, *n.*

Inst. Haec beatitudo est hominis finis naturalis. — *R. d.* per modum praemii consequendus, et ut talis propositus, *c;* necessario consequendus, *n.*

Objic. 2^o Meritum supponeret debitum ex parte Dei; *a.* ita induceretur in Deo dependentia ab homine; *e.* — *R. d. maj.* debitum homini naturaliter, *n;* hypothetice, i. e. post liberam Dei dispositionem, *sd.* et ita Deus debet potius sibi ipsi, *c;* debet homini proprie, *n.*

Objic. 3^o Qui rem stricto Dei mandato praeceptam facit, nihil Deo praestat quod non omnimode ex justitia debeat; *e.* tunc saltem nullum meritum. — *R. c. ant.* — *d. cons.* nisi ipsum mandatum sub meriti conditione proponeretur *c;* nunc, dum ita proponitur, *n.*

Objic. 4^o Meritum est ex opere indebito; *a.* homo omnia Deo debet. —

R. d. maj. ex opere undequaque indebito, *n;* ex opere non ex justitia stricta debito, *sd.* meritum absolutum, *c;* hypotheticum, *n.* — *c. d. min.* debet, ita tamen ut a Deo pro meritorio acceptetur, *c;* secus, *n.*

Objic. 5^o Non meretur qui alteri rependit id tantum quod ille suis meritis jam est meritus; *a.* sic homo respectu Dei; *e.* — *R. d. maj.* non meretur absolute, *c;* hypothetice, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 6^o Humanae actiones nullum bonum aut malum possunt Deo conferre; *e.* — *R. d. ant.* nullum bonum aut malum intrinsecum, *c;* extrinsecum, praesertim si respicitur ordinatio Dei stabilita, *n.*

Objic. 7^o Homo in agendo est instrumentum divinae virtutis, *e.* nihil a Deo meretur. — *R. d. ant.* instrumentum mere passivum, *n;* simul liberum et seipsum movens, *c.*

Objic. 8^o Quidquid homo habet a Deo habet; *e.* reddit, non meretur. — *R. d. ant.* ita a Deo habet, ut tamen ipsius libertati commissum sit, ac proinde simul hominis sit, *c;* secus, *n.* — *d. cons.* non meretur ex stricta justitia, sed ex quadam proportionem, supposita ordinatione divina, *c;* nullo modo meretur, *n.*

Objic. 9^o Homo nequit benefactor Dei esse. — *R. d.* benefactor proprie, seu tribuens aliquid Dei perfectivum quo secus Deus privatus maneret, *c;* improprie, i. e. nequit a Deo acceptante haberi tanquam quasi-benefactor propter procuratam gloriam extrinsecam, *n.* (unde merita nostra erga Deum sunt analogae, non univoca, cum meritis erga homines).

Propositio 24.

Finis intrinsecus et essentialis omnis praemii et poenae est rectus ordo servandus aut restituendus.

Notiones. Praemium et poena sunt bonum et malum agenti ob actionem moralem meritoriam retribuendum.

Finis intrinsecus et essentialis, ut excludamus fines secundarios et accidentales qui adesse possunt, v. c. correctio delinquentis, etc.

Prob. Omne meritum vel demeritum consistit in aliqua laesione ordinis et aequilibrarii, ab ipsa natura (vel Deo, ejus auctore) voliti; *a.* praemium et poena intrinsece et essentialiter sunt compensatio boni vel mali turbantis, ac restauratio aequilibrarii; *e.*

Ad maj. *Laeditur ordo,* i. e. non quasi dicamus meritum esse culpam; sed: praeter debitas relationes servandas exciditur sive in bonum sive in malum, ac proinde non integer manet ordo aequalitatis naturalis inter homines, donec restauretur compensatione.

Ad min. Cfr. supra, propos. 22.

Coroll. 1^m Ergo praemium et poena debent esse proportionata merito vel demerito.

Coroll. 2^m Ergo praemium et poenam statuere, essentialiter et per se

solius Dei est, ut auctoris et essentialis custodis omnis recti ordinis; humanae vero auctoritatis non nisi ex Dei mandato et communicata auctoritate.

Coroll. 3^m Sicut actui triplex meritum vel demeritum, ita et triplex praemii vel poenae genus respondet, a triplici ordine, individuali, sociali, universali, proveniens; v. c. a) pax animi, valetudo corporis, vel contra; b) aestimatio, bona fama, pax domestica et publica, scientiarum et artium prosperitas, vel contra; c) beatitudo naturalis finalis, vel contra.

CAPUT III.

DE NORMA ACTUUM HUMANORUM PROXIMA.

Postquam actuum humanorum essentiam et principia dispeximus, atque eorum moralia attributa generatim; nunc ad magis particularia deveniendum est, inquirendumque qua norma proxima seu regula immediata debeant nostrae operationes regi ut moraliter bonae dicantur. Quae norma duplex spectari potest, objectiva altera, nempe lex, altera subjectiva, conscientia scilicet seu legis in ipso agente promulgatae agnitio. Sint ergo

Quaestio 1. De norma objectiva, seu lege.

Quaestio 2. De norma subjectiva, seu conscientia.

QUAESTIO 1.

De norma objectiva, seu lege.

Ac circa legem quidem, sunt quaedam generatim de ipsa ejus notione dicenda, deinde vero de singulis legum speciebus, ac tandem de consuetudine quatenus haec saepe vim legis obtinet.

Articulus 1. De lege generatim.

Articulus 2. De lege aeterna.

Articulus 3. De lege naturali.

Articulus 4. De lege humana.

Articulus 5. De consuetudine.

ARTICULUS 1.

De lege generatim.

Propositio 25.

Obligatio est necessitas secundum rationem. proveniens a necessaria connexione certorum mediorum cum fine necessario.

Stat. quaest. Quum conceptus legis, cum notione obligationis intime connexus, sine ea nequeat sufficienter explicari, prius statuendus est rectus obligationis conceptus.

Prob. Obligatio 1) est necessitas aliqua, et quidem absoluta, — 2) est necessitas objectiva per rationem apprehensa et voluntati proposita, ut huic se voluntas conformet, — 3) est necessitas proveniens a fine necessarie volendo, — 4) est necessitas proveniens a necessaria connexionem finis cum certis mediis; — *a.* haec elementa in proposita definitione (descriptione) apte exprimuntur; *e.*

Prob. maj. 1 part. (aliqua necessitas absoluta). Ex usu ordinario, obligatio nulla intelligitur quae non sit vinculum voluntatem ligans ad aliquid agendum vel omittendum; et quidem ligans non si voluntas ligari velit, sed etiamsi ipsa nolit; *a.* ita habetur vera aliqua necessitas pro voluntate, et quidem non hypothetica (si voluntas velit), sed absoluta; *e.*

Prob. maj. 2 part. (necessitas objectiva). Ex usu ordinario, obligatio concipitur ita ligare voluntatem ut physicam libertatem minime tollat; *a.* omni alio ligamine tolleretur libertas physica; *e.*

ad min. Praeter objectivam necessitatem apprehensam et voluntati propositam, aliud ligamen excogitari nequit nisi aut impulsus extrinsecus subjectum determinans, aut necessitas subjectiva intrinsece inhaerens naturae humanae eamque ad actum determinans; *a.* impulsus extrinsecus esset coactio libertatem tollens; et necessitas subjectiva libertatem ut sibi contrariam excludit; objectiva autem necessitas actum liberum non tollit, sed solum ad eum allicit facultatem; *e.*

Prob. maj. 3 part. (proveniens a fine necessario). Obligatio debet esse aliqua necessitas absoluta, objective proposita (i. e. debet esse alicujus objecti propositio quod voluntatem alliciat, quod proponatur tanquam necessario appetendum, seu tanquam necessario alliciens); *a.* 1) objective proponi voluntati tanquam ejus objectum alliciens nihil potest nisi bonum propter se, i. e. finis; 2) nullus finis potest proponi tanquam necessario alliciens, nisi finis sit necessarie volendus; *e.*

Prob. maj. 4 part. (a necessaria connexionem). Obligatio debet esse aliqua necessitas ad actum faciendum vel omittendum practice ligans voluntatem, et provenit a fine necessario; *a.* finis, etiam necessario volendus, non practice necessitat voluntatem, nisi proponatur simul medium cum fine insolubiliter connexum, i. e. ita connexum ut sine eo finis nequeat obtineri; *e.*

Objic. 1^o Si obligatio dicit necessitatem absolutam, tollit libertatem (ut necessitati contrariam); *a.* sic nulla jam est obligatio, vinculum morale; *e.* — *R. d. maj.* si dicit necessitatem absolutam, i. e. subjectivam determinationem ad unum, *c;* i. e. connexionem mediorum cum fine necessario, quam non ipsa voluntas possit stabilire vel solvere, *sd.* tollit libertatem moralem; *c;* physicam, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 2^o Si obligatio oritur ex fine necessarie volendo, et necessarie cum certis mediis connexo, voluntas nequit non velle finem et media; *a.* ita nulla libertas; *e.* — *R. d. maj.* si... ex fine quem necessitate physica voluntas